

civitate. Atticæ sane LL. *Arbitros* prius, quàm *Judices*, sub gravi multâ adiri voluerunt; ac arbitros ipsos, ne eam operam detrectarent, pœna statutâ perpulerunt, de quo vid. *Sigon. de Rep. Athen. l. 3. c. 5. tot.* Machiavelli æque periculosam sententiam refutat *Conring. animadv. Polit. in Machiav. Princ. c. 21.* & docet: videri consultius, *neutram* partem juvare: nullam esse necessitatem opem alterutri ferendi, si verò quiescas, neutrius partis inimicitiam subeundam, quam vitare non possis, alterutram si juveris; sine certi autem commodi spe vicinum aliquem potentem inimicum reddere, hoc verò est in discrimen remp. conjicere. Inde potissimum contrariæ partis argumentum de *nimiâ alterutrius partis metuendâ potentiâ* destruit. Verba hæc sunt: *Quod si tuis auxiliis altera pars vincat, eo ipso augetur potentiam vicini, quod non vacat periculo, cum intersit potius, vicinos habere non potentes, aut vero multos pari potentiâ, ut mutuâ emulatione illorum tu sis securus.* Hinc utut objiciatur, amicum adeò parari potentem, & sic sperandam sibi esse in adversis opem, Resp. Beneficii lati memoriam raro solere esse diuturnam, exitumque hujus rei æque periculosum fore ac leonis cum asino initam amicitiam atque conjunctionem.

§. 4. Sed hoc negotium, *ceteris paribus*, probabile diximus. Fit enim (1) ut *neutralitate* Tuâ, socium benè meritum male deserat, (2) ut opportunam ope non latâ officii gratiam amittas. Quorum prius Rhodii dicto tempore tot vinculis Romanæ Reipublicæ innexi commisserunt. Posterius prudenter advertēbat L. Mamilius Tusculanorum dictator, Capitolio per Herdonium Servorum ducem noctu occupato; ac suos cives, præter rationem periculi communis & debitæ fidei, eo quoque argumento urgebat ad auxilium ferendum: *demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam civitatem nunquam parem occasionem daturus deos Liv. l. 3. edit. Sigon. p. 31. B.* ut constet, cujus auræ amicus sis. confer *Saaved. Symb. Schupp. jucund. libello: Freund in der Noth.* (3) Ut con-